

terrarum illæ celebrentur, decreta ad se mitti præcipiet. eaque singula expendet, et recognoscet; » et sic declaravit ipsa Sac. Congreg. Conc. in *Januens. de anno 1573. et in Hostiens. de anno 1586.* (51. Et de facto sic servat Praxis, quod Concilia Provincialia a Sacra Congregatione Concilii approbentur. (52. Nec tamen per istam approbationem, quæ fieri solet a Sacra Congregatione Concilii, ipsa decreta Conciliaria obligant extra Provinciam, ut decisum fuisse ab ipsa Sacra Congregatione Concilii refert Sellius in *selectis Canonis, cap. 25.* et Barbosa ad *Tridentin. sess. 24. cap. 2. n. 2.* (53. Bene vero obligant omnes Subditos Provinciæ, et contra inobedientes Juris remediis est procedendum, cum afficiant omnes de Provincia; *cap. cum. omnes, de Constitutionibus, et expresse Tridentinum dict. sess. 14. cap. 2.* præcipit Episcopis, ut observent, et faciant observari talia Conciliaria Decreta, ibi: « Et quæ ibi ordinata fuerint, observent, et observari faciant. » Et Sacra Congregatio sub die 6. Aug. 1695. in una *Montis Morani executionis decretorum* mandavit exequenda esse Decreta Conc. Provinc. Beneventani in dicta Diocesi; et Rota in *Cracovien. exemptionis 16. Jan. 1689. § Illud, cor. Card. Caccia.* (54. Immo Decreta Conciliaria Provincialia ligant etiam Episcopum Successorem, licet sit elapsum decennium ab ultima Synodo Provinciali, ut fuit decisum in una *Marsicana.* (55. Non tamen hæc decreta obligant ad culpam, sed ad penam, nisi specialiter ad culpam obligare declaraverit ipsum Concilium; Concil. Toletan. XXI. *cap. 2. Petra loc. citat. num. 120.*

(56. Conciliorum, et Synodorum celebratio Episcopis juxta Concil. Trid. dispositionem efficaciter suadetur; *Benedict. XIV. tom. 2. Const. 28. incip. Quamvis § 5. et Const. 31. incip. Singularis § 2.*

### ARTICULUS III.

*Concilium episcopale, seu synodus diocæsana.*

(1. Synodus ex Græco interpretatur Comitatus, vel Cætus, textu expresso in *c. Canones dist. 15. vers. Synodus*, ibi: « Synodus autem ex Græco interpretatur Comitatus, vel Cætus. »

(2. Synodus Diocæsana est celebranda singulis annis ab unoquoque Episcopo in sua Diocesi. Sic expresse statuit Concilium Tridentinum *sess. 24. de reformatione cap. 2.* ibi: « Synodi quoque Diocæsanae quotannis celebrentur (1). » Potestque celebrari etiam extra Ecclesiam, ex *Monacell. tom. 1. tit. 5. formul. 3. num. 7. Bott. Massobr. ibi citatis.* (3. Et si necessitas postularet, posset Synodus Diocæsana etiam sæpius in anno celebrari. Barbosa ad *Conc. cit. sess. 22. cap. 2. n. 17. et p. 5. de Offic. et potestat. Episcop. alleg. 93. num. 2. Ugolin. de Offic. Episcop. cap. 48. num. 3.* et alii per textum in *cap. De Conciliis 2. dist. 18.*

(4. Episcopus non celebrans singulis annis

(1) Vide infra n. 72, et seqq.

Synodum Diocæsanam incurrit pœnas a jure statutas. *Sacra Congregatio Concilii 26. Junii 1621.* Episcopus omittens sine causa celebrare quotannis Synodum de jure communi est suspendendus ab executione Officii ex *cap. Sicut olim, de accusationibus. Sac. Congreg. Conc. 21. Mart. 1590.* apud Pignatell. *tom. 4. consult. 132.* Barbosa ad *Conc. loc. cit. n. 18.* Gavant. in *manual. Episcop. verb. Synodus n. 5.* Vide infra n. 86, et seqq.

(5. Episcopus duarum Civitatum unitarum debet in utraque Diocesi alternative Synodum celebrare, nec Capitulum unius Cathedralis cogi potest, ut accedat ad Synodum alterius. *Sac. Congreg. Conc. in una Civitatis Castellanae, et Hortanae 9. Januarii 1624.* et sæpius alibi Pignatell. *tom. 4. consult. 132.* Hinc eadem *Sac. Congr. Conc. in Valven. et Sulmonen. 3. Septem. 1650.* declaravit, quod in qualibet Civitate deputandi sunt examinatores Synodales distincti ab illis, qui deputantur in altera Civitate; et quod Episcopus pro causis Diocæsanae unius Diocesis deputare debeat Vicarium Generalem in illa Diocesi; ac etiam quod Clerici unius Diocesis delinquentes debeant ibidem in carcerem condi, et non transmitti ad carceres alterius Diocesis. Sic apud Pignatell. *loc. cit.* ubi insuper adducit ad rem alia Decreta Sac. Congr. Episcoporum.

(6. Afferuntur ad idaliæ novissimæ Resolutiones Sac. Congregationis Concilii, nempe, in *Ampuriens. Synodi*, ubi ita habetur: « Approximante tempore celebrationis Synodi, Episcopus, stante quod Ampuriensis Diocesis unita sit æque principaliter Civitatensi Diocesi, nulla in hac parte suffultu consuetudine, supplicat ab Eminentissimis VV. edoceri... I. An ipse teneatur celebrare Synodum in utraque Diocesi, et quatenus negative, II. An renuentibus Civitatensibus accedere ad Cathedralium Ampuriensem, eos juris remediis ad accessum, et ad Synodi observantiam compellere possit? » Et *Sac. Congreg. 8. Maji 1694.* respondit: « Ad I. Affirmative alternatim. Ad II. Negative, » ut in *libro 44. Decret. pag. 212.* Et in *Geruntinen. et in Cariatens. Synodi et Graaminum*: Cum Capitulares, et reliqui de Clero Geruntinen. ad Synodum per Episcopum indictam, et in Civitate Cariatensi habitam, non accessissent, tum ob itineris incommodum, tum etiam quia Ecclesiæ Geruntinen. et Cariatens. fuerint inter se accessorie unitæ, reservata tamen præ eminentia Geruntinensi, inter cætera disceptata fuerunt hæc dubia: « I. An Synodus ab Episcopo celebrata in Cathedrali Cariatens. sustineatur? » Et quatenus negative. « II. An liget Diocesi Geruntinam? » III. An Censuræ ab Episcopo fulminatæ contra Canonicos Geruntinos sustineantur? » Et *Sacra Congregat. die 7. Octobr. 1706.* respondit: « Ad I. Affirmative. Ad II. et III. Negative. » Sed proposita causa sub Dubio: *An et in quibus sit standum, vel recedendum a decisio sub die 2. Octobris 1709. in casu, etc. Die 1. Febr. 1708.* rescripsit: « Ad I. In decisio. Ad II. prævio recessu a decisio, Affirmative. Ad III. usque ad ultimum, in decisio, » ut in *lib. 58. decretat.*

*pag. 53.* Et in *Matheranen. et Acheruntina Synodi*, ad sequentia dubia. « I. An licitum sit Archiepiscopo Matheranensi, et Acheruntino convocare Synodum Diocæsanam in Civitate Matheræ pro utraque Diocesi, seu potius eam celebrare teneatur in Civitate Acheruntina? » Et quatenus affirmative ad primam partem, et negative ad secundam. « II. An idem Archiepiscopus compellere possit Ecclesiasticos dictæ Civitatis, et Diocesis Acheruntinæ ad interveniendum prædictæ Synodo in casu, etc. » *Sac. Congreg. 24. Martii 1736.* respondit: « dilata non retardato pro hac vice interventu Cleri Acheruntini Synodo jam indictæ in Civitate Matheranensi sine præjudicio jurium ambarum partium. » Sic apud Thesaurum Resolutionum Sacræ Congregationis Concilii *tom. 7. in d. Matheran. et Acheruntina Synodi*, in cujus causæ expositione refertur etiam sequens Decretum in *Pennen. et Adrien.* ubi eadem Sacra Congregatio die 26. Julii 1647. respondit: « Synodum ab Episcopo congregatam, et celebratam in Civitate Pennen. quæ ratione alternativæ celebranda erat in Civitate Adriensi, non esse abolendam, sed acriter corripiendum Episcopum, et faciendam declarationem, quod hujusmodi celebratio nullo modo præjudicet Civitati Adriensi ratione dictæ Alternativæ, prout hæc Sac. Congr. declarat, ut in *lib. 18. Decret. pag. 367.* » Vide infra n. 78. seqq.

(7. Episcopus nondum consecratus, si Bullas expedit, potest Synodum convocare. Gavant. in *Manual. Episc. verb. Synodus Diocæsana n. 1.* Massobrius de *Synodo Episc. c. 2. dub. 1. n. 9.* Barbosa ad *Conc. loc. cit. n. 20. et citat. allegat. 93. post. n. 3.* cum aliis ibi citatis.

(8. Archiepiscopus non potest Synodum congregare ante susceptionem Pallii. Sic expresse Gloss. in *cap. Pallium 6. verb. Misarum dist. 100.* ibi: « Et in Synodo etiam uti valet, sed non potest Synodum congregare ante susceptionem Pallii; » Pirhing. in *Jus Canonicum tom. 1. l. 1. tit. 8. n. 11.* Azorius *Instit. moral. par. 2. l. 3. c. 34. qu. Card. Petra tom. 5. Commentar. ad Constit. Pii II. num. 31.* et alii cum Barbosa *cit. allegat. 63. per text. in c. Quod si ut § Super eo, de election.*

(9. Synodus Cleri Romani convocari potest ab Eminentissimo Cardinale Urbis Vicario, ut actum fuisse liquet in præmio statutorum Cleri Romani impressorum, et expresse data fuit facultas a Paulo III. *Const. 36. a 10.* ibi: « Synodum in Romano Clero pro correctione malorum morum, et pro necessitate, juxta temporum opportunitates in Clero occurrentes, ubi, et quando libuerit celebrandi, et congregandi, statuta, et ordinationes, seu Constitutiones pro tempore observandas edendi. » Sic Card. Petra *tom. 5. Comment. ad Constit. 1. Pauli II. n. 64.*

(10. Vicarius Generalis Episcopi absque ejus speciali mandato non potest Synodum Diocæsanam convocare. *Sac. Congr. Conc. 11. Aug. 1688.* apud Sell. in *Selectis Canonis. cap. 25. n. 31.* Barbos. ad *Concilium l. c. n.*

21. et tenem passim Doctores. Vide verb. *Vicarius Generalis art. 2. n. 20.*

(11. Vicarius Capitularis, Sede vacante potest, immo debet Synodum congregare; in illum enim transfertur jurisdictio Episcopalis. Sic decisum fuisse a *Sac. Congregat. Concil.* refertur *Garcias de Benef. part. 9. c. 2. n. 8.* Card. Petra *tom. 5. Comment. ad Constit. 4. Callisti III. sect. 2. n. 113.* Gavant. *l. c. verb. Synodus Diocæsana n. 2.* Barbosa ad *Concilium loc. cit. n. 22.* et ad id teneri docent *Sbroz de Offic. Vicar. lib. 2. qu. 3. in addit. sub n. 5.* Pavin. *de potest. Capituli Sede vacante part. 1. quest. 9. vers. Ex præmissis et qu. 10.* Bottæus de *Synodo part. 1. q. 6. n. 40.* Massobrius *loco cit. c. 2. dub. 4.* Barbosa *cit. allegat. 93. sub num. 4.* et alii.

(12. Abbates, aliique Prælati Episcopo inferiores non possunt congregare Synodum, nisi habeant copulative tria requisita, scilicet Territorium vere separatam cum Jurisdictione quasi Episcopali in Clerum, et populum, et speciale Indultum Apostolicum cum subsequuta consuetudine. Barbosa ad *Concil. Trident. sess. 24. de reform. c. 18. n. 45.* Card. de Luca ad *Concil. disc. 30. n. 12.* Lotter. *de re Benefic. lib. 2. q. 31. num. 88.* et plurimi alii citati a Card. Petra *tom. 5. Comment. ad Constit. 4. Callisti III. sect. 2. n. 114. et 115.* ubi ad id refert plura *Decreta Sac. Congreg. Conc.* Vide ibi multa ad rem.

(13. Episcopus justo aliquo impedimento detentus potest Synodum congregare per alium. Sic decisum fuisse a *Sacra Congregat. Concilii* referunt Ugolinus de *Offic. Episcop. cap. 48. n. 3.* Barbosa ad *Concil. Trident. sess. 24. de reform. cap. 2. num. 19.* et *cit. allegat. 43. n. 3.* ubi dicit, quod id innuit ipsummet Concilium *cit. cap. 2.* dum inquit, *Synodi Diocæsanae quotannis celebrentur*, indeterminate enim loquitur, et non speciatim mandat Episcopis, ut ipsimet Synodum congregent, adeoque per alios possunt. Ita enim Piasec. in *praxi. p. 2. c. 2. n. 1.* et alii.

(14. Si in Diocesi sit constitutus Vicarius Apostolicus, ad ipsum solum, et non ad Episcopum pertinet congregare Synodum, et facere concursum, quia Episcopus non habet nisi administrationem Ordinis. *Sac. Congreg. Episcop. in Lycien. 9. Jun. 1608. et in Bisitanen. 16. Maii 1653.* apud Piton. *Constit. et decis. ad Episc. n. 1205.*

(15. Non est ordinarie convocanda Synodus, nisi prius expleta fuerit Visitatio Generalis Diocesis; ipsa enim prævia Visitatio videtur necessaria, ut opportuna remedia malis, et pravis consuetudinibus, ac corruptelis, quæ in Diocesi sunt, possint applicari. *Crispin. de Visit. p. 3. § 18. n. 4.* Pax. *Jord. Lucubrat. tom. 2. lib. 8. tit. 2. n. 9.* Monacell. *l. 1. tit. 5. formul. 3. n. 2.* et alii.

(16. Debet autem Synodus fieri ante Visitacionem, quando habita non fuit a multo tempore. *Sac. Congr. Episc. in Tarentina 24. Oct. 1586.* apud Nicol. in *Flosculis Verb. Synodus n. 2.*

(17. Episcopus in convocatione Synodi non tenetur consilium Capituli requirere,



nec in aliis actionibus preparatoriis; id enim sola sua auctoritate facere potest. Sic declaravit *Sacra Congreg. Concil. in Oriolen. 22. Martii 1631.* apud *Barbosam in Summa Apostol. decis. collect. 124. n. 22. et in Fulginaten. 26. Februar. 1639.* apud *Nicol. Lucubrat. Canon. lib. 3. tit. 6. de judic. num. 6. et in Hispalen. Visitationis 18. August. 1693.* apud *Monacell. tom. 1. tit. 3. formul. 3. num. 5.* (18. *Piasec. tamen prax. Episc. part. 2. art. 1. num. 4. cit. de modo convocandi Syn. Pignatell. tom. 1. consult. 69.* et apud ipsum *Rota in Barbastren. Jurisdictionis. 7. Junii 1585. coram Card. Pamphilio*, et alii dicunt, quod Episcopus, antequam indicat Synodum, teneatur requirere saltem consilium Capituli juxta Regulam *cap. Quanto, De his, quæ fiunt a Prælat. sine consensu Capituli.*

(19. Episcopus debet in publicatione Decretorum Synodi, Capituli consilium exquirere, licet sequi non teneatur; Episcopus enim prudens, antequam Decreta Synodi promulget, debet prius in privatis congressibus a Viris doctrina, prudentia, et pietate præstantibus, et deinde ex obligatione a Capitulo collegialiter coadunato consilium exquirere: licet solus potestatem legislativam statuendi habeat, et consilium sequi non teneatur. *Sac. Congr. Concil. in Hispalen. Synodi 26. Novembr. 1689.* apud *Monacell. loc. cit. num. 9.* ubi dicit esse hanc propositionem, quæ non habet hodie oppositorem.

(20. Requisitio consilii Capituli pro publicatione Decretorum Synodi debet fieri ab Episcopo Capitulo congregato, non autem Canonicis particulariter, Syndico, aut Procuratori, alias non valeret, ut tradunt *Rota coram Verallo part. 1. decis. 305. n. 3.* Card. de Luca *de Jurisdic. discurs. 6. num. 4. et 6.* Gavant. *in prax. Synod. tit. de Confect. Decret. cap. 6. num. 8.* Pax *Jordan. Lucubrat. tom. 2. lib. 8. tit. 1. de Constitut. n. 10.* *Monacell. loco citato n. 14.* et alii.

(21. Immo valde expedit, quod dicta requisitio facta Capitulo congregato registretur in actibus Synodi, quia cum sub pœna nullitatis Synodi teneatur Episcopus consilium Capituli exquirere, ut pluries declaravit *Sac. Congreg. Concil. et signanter in una Sancti Marci Synodi 10. Maji 1666. et in Boven. Synodi 17. Februarii 1680. et in Hispalen. Synodi 26. Novembris 1589.* constando sic de tali facta requisitione evitantur omnes recursus, qui non semel in *Sac. Congreg.* audiuntur adversus hunc defectum.

(22. Si autem Canonici, et Dignitates nolent coram Episcopo die ipsis indicta congregari, tunc sufficeret requisitio facta per Edictum affixum in loco Capituli, seu ad valvas Sacristiæ, aut Ecclesiæ Cathedralis, protestando in eodem Edicto, quod sic habeantur pro requisitis, et ad celebrationem Synodi velle procedere, quod in tali casu sufficit ad ejus validitatem, prout declaravit *Sac. Congr. Concil. in Ostunen. Synodi 15. Decembris 1696.* apud *Monacell. loco cit. n. 12.*

(23. Et in casu quo totum Capitulum

congregatum, seu aliqua ejus pars contradiceret desiderio aut propositioni Episcopi, et protestaretur, et appellationem interponeret, posset Episcopus, his protestationibus, et appellationibus non obstantibus, suam Synodum libere celebrare, cum Synodi celebratio impediri, vel retardari nequaquam possit, etiam prætextu cujuscumque appellationis, ut expresse *Sac. Congr. Concil. in Oriolen. 27. Mart. 1632. in respons. ad 17. dub.* apud *Barbos. in Summa Apostolicar. decis. verb. Synodus n. 8.* quia Episcopus tenetur solummodo Capituli consilium petere, non tamen sequi, ut declaravit *Sac. Congreg. Concilii in d. Oriolen. in respons. ad 15. dub.* apud *Barbos. loc. cit. n. 7. in Fulginaten. 26. Febr. 1639.* apud *Nicol. Lucubrat. Canon. lib. 3. tit. 6. de Judæis n. 6. et in Hispalen. Synodi 26. Novemb. 1689. in respons. ad 2. apud Monac. l. c. n. 13.*

(24. Capitulum Cathedralis debet necessario expresse in specie, et nominatim ad Synodum invitari juxta dispositionem Text. *in cap. Ultimo, De his, quæ fiunt a Prælat. sine consensu Capituli, Fagnan. in cap. Grave n. 11. et 15. de Præbendis, Monacell. loc. cit. n. 5.* et alii.

(25. Si autem Canonici, et Capitulum Synodo interesse recusent, cogi possunt ab Episcopo etiam per censuras Ecclesiasticas. *Sac. Congregat. Concil. in Oriolen. 21. Mart. 1632. in respons. ad 19. dub.* apud *Barbos. in Summ. Apostolicar. decis. verb. Synodus n. 9.* et *Bonfadin. in Thes. Eccles. decis. resolut. 52. n. 13.*

(26. Laicis, quamvis sit in facultate Episcopi, eos invitare, non tamen possunt de jure prætere, quod teneatur eos invitare ad Synodum. *Sac. Congreg. Concil. in Lycien. Synodi 10. Jan. et 18. Apr. 1688. in respons. ad primum, et Sac. Congregat. Rit. in Urbinate. 23. Januarii 1700. in responsione ad septimum. Vide infra n. 92. seqq.*

(27. Ad Synodum accedere tenentur, et admitti debent solum Curati, et Beneficiarii, nisi esset consuetudo, quod interveniret totus Clerus. *Sacra Cong. Episcop. in Aquilana 31. Maji 1589,* apud *Nicol. in Floscul. verb. Synodus. n. 2. et in Eugubina 13. Augusti 1650. in Forosempronien. 17. Januarii 1654.* apud *Piton. Constitut. ad Episcop. n. 1212.* (28. In casu autem, quo in Synodo agendum sit de reformatione morum, vel de alia re, quæ Clerum universum tangat, omnes Presbyteri, et Clerici interesse debent, ut declaravit *Sac. Congreg. Concil. in Eugubina 12. Augusti 1650.* apud *Crispin. de Visitat. p. 3. § 18. n. 4.* et *Monacell. loc. cit. num. 3.* (29. Tunc tamen, si episcopus acturus sit super aliquo ex præmissis, debet facere mentionem verbis specificis in Edicto convocationis. *Sac. Congreg. Concilii. 7. Januarii 1654. lib. Position. 98. fol. 124.* apud *Monacell. tom. 4. supplement. ad 2. tom. n. 153.*

(30. Exempti omnes, qui alias cessante exemptione Synodo interesse deberent, nec Capitulis Generalibus subduntur, ad eam accedere tenentur, textu expresso *in Concil. Trident. cit. sess. 24. de reform. cap. 2* ibi:

« Synodi quoque Diocesanæ quotannis celebrantur, ad quas exempti etiam omnes, qui alias cessante exemptione interesse deberent, nec Capitulis Generalibus subduntur, accedere teneantur. »

(31. Omnes Curati, sive Sæculares, sive Regulares tenentur ratione Curæ Parochialis accedere ad Synodum, etiam si ipsi Curati Regulares subdantur Capitulis Generalibus. *Communis*, per textum expressum in Concilio *Trid. loco citato* ibi: « Ratione tamen Parochialium, aut aliarum sæcularium Ecclesiarum etiam annexarum, debeant ii qui illarum curam gerunt, quicumque illi sint, interesse. »

(32. Synodo interesse tenentur etiam Abbates, alique Superiores Regulares, et Prælati inferiores exempti, si per se ipsos Curam Parochialem exerceant. Secus autem, si ipsam Curam per alium ab ipsis eligendum exerceant, quia tunc onus accedendi isti soli incumbit, et non Abbati, seu alteri Superiori Regulari, aut Prælato inferiori exempto. Sic decisum fuisse a *Sac. Congr. Concil. referunt Card. Petra tom. 3. Commentar. ad Constit. 4. Callisti III. sect. 2. num. 110. Sellius in Selectis Canon. cap. 25. num. 32. Barbosa ad Trident. cit. c. 2. n. 28.* et tenent alii communiter. Accedere tamen ad Synodum Diocesanam non tenentur Abbates Regulares nullam animarum curam gerentes; ut ex Decretis *Sac. Congr. Bened. XIV. de Synod. Dioces. lib. 3. c. 2. § 3.* iterumque *lib. 7. c. 65. § 2.*

(33. Item Synodo interesse tenentur Vicarii, seu Capellani Religionis Hierosolymitanæ Curam animarum habentes. *S. Congr. Concil. in Illerden. 17. Jun. 1683.* apud *Monacell. tom. 4. supplement. ad 3. tom. num. 1558.* et aliud *ejusd. S. Congr. Decretum in una Meliten. refert ad id Card. Petra loc. cit. n. 111.*

(34. Item Synodo interesse tenentur Parochi exempti Ecclesiæ Lateranensis. *Card. de Luca de Jurisdic. discurs. 38. num. 6.* et ad *Concil. Trid. discurs. 30. num. 10. et sequent. Card. Petra loc. cit. n. 9.* *Tambur. de jure Abbat. tom. 4. disp. 2. qu. 4. n. 5. et Communis aliorum.*

(35. Rectores Parochialium Nullius Diocesis, etiam si sint Abbates, tenentur accedere ad Synodum illius Episcopi, qui tamquam vicinior potest eos visitare. Sic decisum fuisse a *Sac. Congr. Concil. referunt Franciscus Leo in Thesaur. Fori Ecclesiastic. par. 1. cap. 9. n. 13. Barbosa loc. cit. num. 17.* ubi expresse habet, quod *Sac. Congr. Concil. declaravit, debere a hujusmodi Abbates Nullius accedere ad Synodum vicinioris Episcopi, ut in Adrien. 12. Jun. 1592. tom. 7. pag. 51. a tergo; Teneri Curatos Nullius Diocesis interesse Synodo illius Episcopi, qui tamquam vicinior potest eos visitare. Abbatem vero, si sit Nullius Diocesis, non teneri, nisi Curam animarum exerceat. » Et *12. Februar. 1622. tom. 12.* « Rectores Nullius tenentur accedere ad Synodum Diocesanam illius Episcopi, qui tamquam proximior potest eos visitare; » ac refert *Fagna-**

nus in cap. Super his, n. 16. de Majoritat. et Obedient. et in citat. *Meliten. ad secundum Sacra Congregatio censuit: « Rectores Nullius Diocesis et ratione Visitationis ad Synodum sunt obligati, et ad ea omnia, quæ in Synodo decreta sunt, si visitentur ab Episcopo tamquam viciniore. »*

(36. Abbates Regulares, Priores, Rectores, Guardiani, alique Superiores parvorum Conventuum, qui vigore Decreti Innocentii X. *Ut in parvis*, subiciantur Jurisdictioni Ordinarii, tenentur accedere ad Synodum, quatenus vocati fuerint ab Episcopo tamquam Sedis Apostolicæ delegato, prout declaravit *Alexander VII. suo Decreto emanato 30. Martii 1611.* quod refert per extensum *Fagnanus in cap. Quando n. 64. de Offic. Ordinarii.* (37. Et si non interveniant, potest Episcopus suo arbitrio illos mulctare, excepta multa pecuniaria. *Sac. Congr. Concil. in Pientina 16. Jun. 1703.* apud *Monacell. tom. 4. ad 3. tom. n. 156.*

(38. Conventus tamen, qui non fuerunt suppressi, et in quibus adest numerus sex Religiosorum, non comprehenduntur sub hac obligatione. *Ead. Sac. Congr. in dicta Pientina 15. Sept. ejusdem anni 1703.* apud *Monacell. loc. cit. n. 157.* et habetur clare ex *Conc. Trident. cit. c. 2.* quia subduntur Capitulis Generalibus.

(39. Episcopus potest cogere etiam Clericos Subcollectores Apostolicos, ut Synodo intersint. *Sacra Congregat. Concil. in una Montis Pelusii 4. Febr. 1651.* et in *Cajacen. 21. Mart. 1654.*

(40. Episcopus potest Juris remediis etiam per Censuras Ecclesiasticas compellere ad interessendum Synodo omnes supradictos obligatos Synodo intervenire. *Sac. Cong. Concil. in Oriolen. 27. Mart. 1532.* in resp. ad *19. dub. in Illerden. 9. Septembr. 1684.* in *Pientina 17. Jun. 1703.* et sæpe alibi.

(41. Et sic etiam Juris remediis compelli possunt ab Episcopo ad interessendum Synodo Curati Regulares Parochiarum illorum Conventuum, in quibus residentiam habent Generales suorum Ordinum, quamvis istæ Parochiæ ex *Concil. Tridentin. sess. 25. cap. 11. et Sac. Congreg. Concil. in Lauden. Jurisdictionis 1. Decemb. 1691.* non subjaceant Visitationi Ordinariorum. Sic *Sac. Congregat. Concil. in dicta Laudensi 1. Decembr. 1691.* in responsione ad octavum, et nonum confirmata *20. Septembr. 1692.* juxta resoluta in *Justinopolitana 24. Septembr. 1739.* in *Comen. 16. Decembris 1645.* et in *Forosempronien. 3. Septembris 1650.* apud *Monacell. tom. 1. tit. 6. formul. 20. numer. 15.* Vide ibi num. *14. et 15.*

(42. In Synodo Diocesanâ potest Episcopus facere Constitutiones, et Decreta absque consensu, et approbatione Capituli, et Cleri. Licet enim teneatur ad id consilium Capituli exquirere, non tamen tenetur illud sequi, ut declaravit *Sac. Congreg. Concil. in Oriolen. 27. Mart. 1632.* in respons. ad *15. dub. in Fulginaten. 26. Februar. 1639.* et in *Hispalen. Synodi 26. Nov. 1689.* (43. Solus enim Episcopus in Synodo Diocesanâ votum deci-



sivum habet Sac. Congregat. Conc. 13. Jan. 1594. apud Sellium in Selectis Canonicis, cap. 25, num. 32. et Barbosa ad Trid. cit. c. 2. num. 29.

44. Decreta tamen, seu Constitutiones Synodales, antequam usu recipiantur, debent ostendi Capitulo, et aliis interessatis, eisque duorum mensium præfigi terminus, ut si se senserint gravatos, recurrere possint ad ipsum Episcopum, vel ad Sedem Apostolicam. Sac. Cong. Episc. in Fundana 4. Dec. 1592. apud Nicol. in Flosculis verb. *synodus*.

45. Non tenetur autem Episcopus Synodum ostendere Civitati, vel Laicis, antequam imprimatur, vel promulgetur. Sac. Congreg. Episc. Civitate Castelli 4. Apr. 1615 apud eundem loc. cit. et apud Barbosam ad Trid. cit. cap. 2. num. 33.

46. Dum Romæ revidentur Decreta Synodalia, non convenit quod Episcopus procedat ad eorum executionem. Sac. Congreg. Episc. in Vintimillien. 21. Aug. 1666. apud Nicol. loc. cit. num. 7.

47. Non tenetur tamen Episcopus ante Synodi publicationem ejus Decreta Romam mittere. Piasec. in prax. Episcop. par. 2. cap. 2. n. 12. Gavant. in Manual. Episcop. verb. Synodus Diœcesana, n. 68. Barbosa ad Conc. Trident. cit. cap. 2. sub num. 33. et par. 3. de Offic. et potest. Episcop. alleg. 93. num. 24. ubi dicit sic eandem Sacram Congreg. rescripsisse Episcopo Ostiensi, teste Quaranta verb. *Synodus Diœcesana, in fine*.

48. Constitutiones, seu Ordinationes factæ in Synodo Diœcesana sunt perpetuæ, et non expirant morte Conditoris. Glossa in cap. *Ut animarum verb. statuto*, de Constitutionibus in 6. Zerola in praxi Episcop. part. 1. verb. *Edicta* § 3. Arced. de præcellent. Episcop. Dignit. part. 2. cap. 1. n. 14. Barbosa cit. allegat. 92. n. 24. et alii.

49. Constitutiones, seu Ordinationes Synodales ligant Clericos, et Laicos Episcopo subjectos. Barbosa ad Trid. cit. cap. 2. n. 34. Massobr. de Synodo, cap. 4, dub. 76 et 78. Gavant. loc. cit., n. 75, et alii passim.

50. Tales autem Constitutiones Synodales ex defectu auctoritatis non obligant Regulares. Rota in Neopolitana Jurium Parochialium 13. Mart. 1711. § *Atque hæc, cor. Ansaldo*. Sic expresse Ursaya in 2. Miscellaneo sacro, et profano lit. S., n. 97, et tenent Peyrin. de privileg. ad Const. 2 Jul. 11, § 23, n. 77. Lezana summa qu. Regul. tom. 1, c. 11, n. 11. Lanstuc. verb. *Constitutio*, num. 5. Hasbens. Summ. Select. qu. verb. *Constitutio*, n. 3, et alii passim quoad Constitutiones Synodales concernentes reformationes Clericorum

51. Servanda tamen est Synodus Diœcesana a Regularibus quoad tempus humationis Cadaverum. Sac. Congr. Rit. in una Senogall. 22. Jun. 1675, in resp. ad primum apud supplem. Theatr. Regular. verb. *Associatio*, num. 5, et Matthæuce. Offic. Cur. quoad Diœcesan. Legem num. 11. et quoad exequias n. 1. 52. Item servandæ sunt constitutiones Synodales a Regularibus in iis

omnibus, quæ concernunt observantiam Sacrorum Canonum, Conciliorum, Pontificiarum Constitutionum, et Decretorum Sacrarum Congregationum.

53. Delenda est poena Excommunicationis in Decreto Synodali contra Moniales scribentes, vel recipientes literas, quas Abbatis non legerit. Sac. Congregat. Conc. in Cæsenat. 26. Mart. 1695.

54. Expensis propriis vivere debent Canonici euntes ad Synodum, et non gravare Capitulum. Sac. Congr. Episcop. in Sarzan. 16. Jun. 1595, apud Nicol. in Flosculis verb. *Synodus*. num. 4.

55. Canonici Ecclesiæ Collegiæ cedere debent locum in Synodo Beneficiatis Ecclesiæ Cathedralis, quando conveniunt cum Capitulo ipsius Cathedralis. Sic. Sac. Cong. Rit. in Ampuriensi Præcedentiæ 20. Jan. 1635, quia membra non debent separari a suo capite. Pignatell. tom. 4. consult. 187. 56. An autem Canonici et Clerus Cathedralis sedere debeant in Synodo ad dexteram, Canonici vero cum Clero Collegiæ ad sinistram? Quamvis eadem S. Cong. Rit. in d. Ampuriensi 11. Maji 1641, censuerit Affirmative, apud Pignatell. loco cit. tamen ipse Pignatell. ibid. censet Negative, et multis probat. Vide ibid.

57. Beneficiati tamquam singuli, et vocati ab Episcopo possunt intervenire Synodo et in loco juxta præscriptum Pontificalis. Ita declaravit Sac. Congr. Conc. 5. Novemb. 1644, apud Pignatell. tom. 1. consult. 294.

58. Hic juvat adducere decisionem Sac. Rit. Congr. in una Spoletana Juris sedendi in Synodo pro Collegialis Sancti Petri, et S. Georgii Civitatis Spoleti cum Capitulo Cathedralis ejusdem Civitatis. Die enim 10. Mart. 1708, proposita causa in Sac. Rit. Congregat. per Card. Colloredum, rescriptum fuit. « Canonici Collegiarum Sancti Petri, et Sancti Georgii detur scamnum coopertum aliquo panno arbitrio Episcopi, nec non vocentur titulo Canonicali sigillatim. » Sic refert Ursaya tom. 2, part. 1, disceptat. 29, num. 60.

59. Cum Episcopus Senogalliensis pœnitentiam publicam vellet imponere duobus Presbyteris Curatis, qui in Synodo adversus illius Decreta (quæ munia Parochialia per se ipsos adimplere debere Parochos arcabant) reclamaverant, et alta voce protulerant hæc verba: « Tu quoque prædicare teneris, et non prædicas. » S. Congr. Episcop. hac die, et ante sub 20. Martii ejusdem anni proposita causa, et Episcopo informante, eidem injunxit, ut petita per eos venia, et imposita pœnitentia salutari, illos reciperet privatim. Sac. Congreg. Episcop. 27. Mart. 1692. Sic ex Monacell. refert Pitonius Constitut. et decis. ad Episcopos n. 1681.

60. In fine Synodi non interrogatur Clerus per verb. *Placetne vobis?* Sac. Cong. Conc. 27. April. 1592. apud Gavant. in Manual. Episcop. verb. *Synodus Diœcesana*, num. 62.

61. Non licet Episcopo cogere etiam muletis singulos Presbyteros, et Clericos ad Synodum impressam retinendam. Sac. Cong. Conc. 14. Dec. 1658. Sic ex Nicolio refert Pitonius loc. cit. n. 1281. Et Sac. Congr.

*Episc. et Reg. in una S. Marci*. 11. Mart. 1728. et d. S. Cong. Conc. in Larinen. *Decretorum Synodali* 30. Aug. 1732. ad 12. dub. apud tom. 5. *Thesaur. Resol. Sac. Cong. Concilii*.

62. Ad Synodum Diœcesanam non teneri adire omnes Canonicos Collegiæ, sed tantum ex his quatuor, respondit Sac. Rit. Congr. in Vicentina 23. Maji 1639. apud Scarfontonum ad Ceccoper. par. 2. lib. 2. tit. 10. sub. n. 33. et 34. ubi etiam quod inconveniens profecto esset, universos Canonicos propriam Ecclesiam inofficiatam relinquere, ut inquit Piasec. in prax. p. 2. c. 2. n. 3. Videtur tamen circa id attendenda legitima cuiusque loci consuetudo; arg. c. *Cum dilectus* 8. de consuetud. l. *Si de interpretatione* 37. ff. de Legib. 63. Sacerdotes simplices teneri inservire Ecclesiæ Cathedrali omnibus diebus festivis, et cogi posse juxta formam consuetudinis, et juxta Constitutiones Synodales, respondit Sac. Rit. Congr. in Bellicastren. *Servitii* 15. Nov. 1670. quam resolutionem utraque parte informante confirmavit anno 1706. 21. August. cum rescripto, *In decis. et amplius*, ut testatur Ursaya tom. 1. par. 2. discept. 24. sub. n. 13. Et attendenda consuetudine, et necessitate Ecclesiæ Cathedralis Sacerdotes et Clericos cogi posse ab Episcopo interesse Missis in diebus Dominicis, et aliis Festis, necnon in Processionibus, jam decreverat Sac. Congr. Conc. in Bricinorien. 11. Jan. 1648. apud d. Ursayam loc. cit. sub. n. 23.

64. Decretum Synodale quo prohibebatur Regularibus, ne in Ecclesiis sæcularibus ex Legato celebrarent, delendum esse statuit Sac. Congreg. Concil. in Meliten. 27. Nov. 1694. et stetit in decis. anno 1695. 11. Jul. et iterum contra reclamantes una cum Parocho Presbyteros sæculares die 1. Dec. 1696. rescripsit in decis. ut Patres Dominicani continuare possent celebrationem Missarum in Ecclesia Parochiali oppidi Pizzoni, ut refert Card. Petra tom. 4. comment. ad Constit. 6. Gregor. XII. num. 19.

65. Synodale Decretum, quo Episcopus Parmensis determinaverat ne in Sodalitatibus Civitatis sibi subjectis, nec in aliis Ecclesiis, ubi aliqua adsit Particula Ligni SS. Crucis Christi Domini publicæ adorationi exponatur iis diebus, quibus in sua Cathedrali exponitur, non esse attendendum respondit Sac. Cong. Conc., in Paimen. 9 Augusti 1698. Proposito enim dubio: « An idem Decretum Synodale sit observandum? » rescripsit: « non competere privatim Ecclesiæ Cathedrali; » et stetit in decis. anno 1699. 28. Mart. cum additione, quod « amplius causa non proponatur, » ut refert Ursaya tom. III. par. 2. disceptat. 5. sub. n. 48 et 49.

66. Synodali decreto, aut alio modo potest ab Episcopis statui, ne Sacerdotes quicumque sive Sæculares, sive Regulares Officium exorcizandi exerceant sine sua expressa licentia in scriptis sub pœnis arbitrio suo imponendis: sic habetur in Synodo Fulginatensi c. 11. n. 8. et Synodo Lucana de anno 1631 par. 2. cap. 11. sub. n. 14. Immo et

in Concilio Mediolanen. quarto par. 2. tit. *Quæ ad Sacramenta* § 1. Et jussu Clementis XI. Sac. Congr. S. Officii 25. Jun. 1710, in Literis Encyclicis relatis in Appendice Synodi Fulginaten. de anno 1722. fol. 158. mandat quod Episcopi non permittant quemquam Sacerdotem Sæcularem, vel Regularem Energumenos exorcizare, nisi eis constet de Exorcistarum ætate, pietate, gravitate, integritate vitæ, prudentia, et aliis qualitatibus a Rituali Romano desideratis, cujus directione uti debeant, et regulas in illo præscriptas nullatenus transgrediantur, sed ad amussim custodiant; uti videri potest etiam in Synodo Alexandrinæ Civitatis, ac Diœcesis celebrata anno 1711. pag. 232. et 433. ubi referuntur supradictæ Literæ Encyclicæ cum simili Synodali prohibitione confirmat. de anno 1732. in alia Synodo sub. tit. de Sacramento Ordinis pag. 55.

67. Synodalibus Constitutionibus tenentur Presbyteri nominati, et deputati in Ecclesiis Parochialibus ad Ordinem Equitum S. Joannis Hierosolymitani spectantibus se conformare quoad omnia Sacramentorum administrationem, et curam animarum concernentia. S. Congr. Conc. in Pragen. Jurisdic. 3. et 17. Dec. 1707. et 14. Januar. 1708. et 9. Jun. ejusdem anni 1708. ad V. dub. Constitutionibus Synodalibus subjiciuntur etiam cæteri Regulares omnes in iis quæ respiciunt curam animarum, et Sacramentorum administrationem, ex Trid. sess. 25. c. 11. de Regular. quamvis secus sit in aliis; sed ad evitandam deformitatem sese illis conforment oportet, non tamen sub gravi eas negligenter, notante Suario. Censet tamen Benedictus XIV. contra nonnullos Regulares, quamvis teneantur ad festa Diœceses ex Trid. sess. 25. c. 12. de Regul. non tamen teneri ad jejunia ab Episcopo indicta, nisi alia consuetudo in quibusdam Monasteriis forte invaluisset. De Synodo Diœces. lib. 8. cap. 4. § 5.

68. Constitutionibus Synodalibus, aliisque Legibus, etiam per Edicta panditis ab Episcopo sine Capitulo consilio, et assensu, subjicitur idem Capitulum. Sac. Congr. Conc. in Gerunden. Exemptionis 19. Dec. 1729. ubi ad IV. dub. « An dictum Capitulum subjiciatur Constitutionibus Synodalibus, sive aliis Legibus etiam per Edicta panditis ab Episcopo absque illius consilio, et assensu, vel potius editis cum ejusdem consilio tantum, in casu, etc. » respondit: « ad IV. Affirmative ad primam partem, et negative ad secundam, et amplius. »

69. Synodum Alexanen. celebratam anno 1739, nullam declaravit Sac. Congr. Conc. in Alexanen. Synodi 20. Jan. 1742. in qua ad primum inter varia proposita dubia, sic conceptum: « 1. An constet de validitate Synodi celebratæ anno 1739, et quatenus affirmative; » respondit: « Ad primum constare de nullitate; in reliquis ad Eminentissimum Præfectum juxta mentem. » Sic apud Thesaurum Resolutionum Sac. Congr. Conc., tom. X.

70. Alia ad rem; vid. verb. *Concursus*, et verb. *Examinatores*.